



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

XXXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

constituit, vt ordines omnes sic in Ecclesia ascenderent. Si quis Episcopus esse mereretur, vt esset ostiarius, lector, exorcista, sequens subdiaconus, diaconus, presbyter, & exinde Episcopus ordinaretur. Qui fugiens persecutionem Diocletiani in cryptis habitando, martyrio coronatur, & sepultus est in cimiterio Calixti via Appia, 10. Kalend. Maii. Et cessauit Episcopatus dies 11.

## XXX.

**M**ARCELLINVS, natione Romanus, ex patre Proiecto, sedit annis 9. mensibus 4. diebus 16. Quo tempore fuit persecutio magna, vt intra 30. dies, 17. hominum millia promiscui sexus per diuersas prouincias coronarentur. Inter quos ipse Marcellinus ductus est ad sacrificandum, vt thurificaret. quod & fecit. Et post paucos dies pœnitentia ductus ab eodem Diocletiano capite pro fide Christi truncatus est. Cuius corpus iacuit in platea diebus 25. & exinde Marcellus presbyter collegit noctu, & sepeliuit eum via Salaria in cimiterio Priscillæ iuxta corpus sancti Crescentionis, 7. Kalend. Maii. Et cessauit Episcopatus annis 7. mensibus 7. dies 25.

## XXXI.

**M**ARCELLVS, natione Romanus, ex patre Benedicto, de regione Vialata, sedit annis 5. mens. 7. dieb. 21. Hic fecit cimiterium via Salaria, & comprehensus damnatus est in carabulo. Quo nouem mensibus exactis in oratione & ieiunio nocte venit clerus eius, & exiit eum, & perduxit ad domum Lucinæ viduæ, quam dedicauit titulo sanctæ Ecclesiæ. Hoc audito Maxentius iussit, vt ibidem animalibus deseruiret. vnde in seruitio animalium nudus amictus cilicio defunctus est. Cuius corpus collegit beata Lucina, & sepeliuit in cimiterio Priscillæ, via Salaria. 17. Calend. Febr. & cessauit Episcopatus dieb. 30.

## XXXII.

**E**VSEBIVS, natione Græcus, ex medicis, sedit annis 6. mens. 1. dieb. 3. Sub huius temporibus inuenta est crux Domini 5. Non Maii. à Iuda, qui post baptizatus est. Hic hæreticos inuenit, quos per manus impositionem reconciliauit. Qui etiam sepultus est in cimiterio Calixti, via Appia, 6. Non Octobris. Et cessauit Episcopatus dies 7.

## XXXIII.

**M**ELCHIADES, natione Afer, sedit annis 4. & constituit nulla ratione Dominica, aut 5. feria ieiunium celebrari: fecitq; vt

Q 4

oblatio-